

DISQVISITIONES PLINIANAE

IN QVIBVS

DE VTRIVSQUE PLINII PATRIA, REBVS GESTIS,
SCRIPTIS, CODICIBVS, EDITIONIBVS, ATQVE
INTERPRETIBVS AGITVR

AVCTORE TRIBVNO MILITVM

ANTONIO JOSEPH COMITE A TVRRE REZZONICI

PATRICIO, J. G. C. ET DECVRIONE NOVOCOMENSE

EQVITE ORDINIS SANCTI JACOBI,

SERENISSIMI REGIIQVE PRINCIPIS


FERDINANDI

HISPANIARVM INFANTIS

&c. &c. &c.

HONORARIO COSMETA, REGIAE PARMENSIS ARCIS PRAEFECTO.

TOMVS SECVNDVS.



PARMAE EXCVDEBANT BORSII FRATRES

ANNO VVLGARIS AERAE

SEXAGESIMO SEPTIMO SVpra MILLESIMVM ET SEPTINGENTESIMVM
SVPERIORVM PERMISSV.

- „ Nunc emit omnis eum ciuis: quem gloria tangit:
 „ Nunc emit argento pauper: & ore legit ^[1]
 „ Factis aere notis debet cum divite pauper:
 „ His debet: quisquis discere multa cupit.
 „ Arte tua ^[2] gaudere potes portillia ^[3] multum:
 „ Quae facit ut vivant omnia scripta: vale

Andreas Aicardus

Ultimo loco apparent Beroaldi correctiones ^[4]: Auctoris tamen desideratur nomen, uti epistola ad Nicolaum Ravacaldum. Integerrimum hujus editionis exemplar ad multum temporis mihi commodavit Guilielmus Tilliotius Felini Marchio, in quem post multas migrationes pervenerat: ipsissimum est, quod Regiae Principis bibliothecae dono dedit. Ibi paucae quaedam annotationes autographae Paridis Compianisii inveniuntur, praesertim libro XXXV. ubi Laocoontis & aliorum statuas a Plinio laudatas, Romaeque extantes se vidisse testatur. In supremo voluminis folio hujusmodi occurrunt:

- „ Plinius mei paridis Compianisii, quem mihi dono dedit Dñs Jonñs de
 „ Angusolis ⁽⁵⁾ affinis meus año 1517. die 15. Junii.
 Addidit officii sui notam cum verbis:
 „ Signum Tabelionatus ⁽⁶⁾ mei Paridis Compianisii ^[7] „

Editio Parmensis III. anni MDCCCCLXXXI folio maximo.

Hoc anno MDCCCCLXXXI. idem typographus Parmensem tertiam satis a memoratâ diversam vulgavit. Quanam ratio Portiliam impulerit, ut tam brevi spatio Naturalem historiam iterum publici juris faceret, haud satis in promptu est. Facilis fortasse alterius editionis distractio (cum publicis Professoribus Plinium Parmae enarrantibus, bibliopola plura ejus exemplaria oratoriae artis studiosis venderet ⁽⁸⁾) vel Aicardi correctoris in multis negligentia ^[9] typographum movit, ut Naturae thesauros secundis curis emitteret. Neque enim suspiceris, quòd ipsissima cum superiori editio sit, & annus unicè supremo folio immutatus, cum utrumque exemplar inter se differat, & diversâ orthographiae ratione, atque aliâ foliorum versuumque constet texturâ.

Tom. II.

P p

Haec

ANNOTATIONES.

am e Principis alicujus librariâ suppellectili fuisse deductam. Non aliud intendit Poëta, nisi quòd vetustis temporibus Naturalis historia penes Magnates & Principes viros unicè reperiebatur: tunc verò typorum auxilio pauperibus etiam communis reddebatur. Alia ad maximam Plinii laudem ex recitato epigrammate collegit Clariss. Paccianus in praeloquio ad impressionem sequentis anni 1481.; de quâ statim.

(1) *Et ore legit.* Haec rudi admodum minervâ ad complendum vericulum Aicardus scripturavit.

(2) *Arte tua.* Characterum elegantia hunc typographum eâ aetate nemini secundum ostendit. Caeteroquin laudem ei tributam potiori jure sibi vindicabunt, qui Portiliam in cudendis libris praecesserunt.

(3) *portillia.* Convenit in ultimo exámetro editio anni 1481.

(4) *Correctiones.* Edidit Portilia grandioribus elementis CORECTIONES; quâ in voce, uti in aliis, vulgantis orthographia desideratur.

(5) *De Angusolis.* (Sic). Illustris hujus Gentis appellationem diversâ ratione redditam invenio. Palmerius & Odo Anguifolia recensentur apud Locatum, & ita ubique (a). Apud Thuanum Anguifoliae Comes (b): a recentioribus Anguifolia scribitur. De Angusolis barbarae, & plebejæ omnino dictiones sunt.

(6) *Tabelionatus.* (Sic).

(7) *Compianisii.* Haud satis liquet utrum Compianisii, an Compianisii legendum sit. Hujus Scribae nullam in patris monumentis memoriam invenisse nobis testatur Poggialius.

(8) *Venderet.* Id videntur innuere verba: *Nunc emit omnis eum ciuis &c.*

(9) *Negligentia.* Suspicio, quòd aliqua inter Aicardum, & Portiliam suborta fuisset controversia; cum in editione anni 1481. allatum epigramma subiciatur; sed auctoris nomen silentii tenebris involvat Typographus. Aliqua etiam, in quibus antea erratum, correctiora exhibentur: alia depravantur.

(a) *De orig. Placent. ad ann. 1298. pag. 101.* (b) *Tom. I. pag. 130. &c. edition. Aurel. ann. 1620.*

Haec Naturalis historia in praefixis operi testimoniis superiori convenit, legimus ad calcem:

Caii Plinii Secundi Naturalis historiae liber tricesimus septimus & ultimus finit. Parmae impressus opera & impēsa Andreae Portiliae Anno Nativitatis Domini. MCC-CCLXXXI. Octavo idus iulii. Regnante Illustrissimo principe Ioanne Galeazzo Maria Duce Mediōlani.

Additur statim supra vulgatum epigramma omissis Aicardi auctoris appellationibus: subsequuntur Beroaldi annotationes, restitutoris supresso nomine, uti etiam epistola ad Ravacaldum omittitur ^[1]. Secunda impressio Portilianam alteram exemplarium quantitate longè excessit; ideoque ab Harduino, Orlando, Maetterio, aliisque recensetur ^[2]. Nos illam in Regiâ Taurinensi, in Romanâ Passionaeâ, Comi in Comitum Equitum Judicumque bibliothecis conspeximus. Extat in Regiâ Imperatoriâ Vindobonensi, & Parmae pluribus in locis invenitur ^[3].

Peculiarem sibi vindicat recensionem exemplar a Freytagio laudatum, egregiis annotationibus conspicuum; cuius voluminis possessor indicatur *ex scuto rubeo, in quo Luna falcata aurea, cui Gallus gallinaceus albus insidet* ^[a]. Longè huic prae habendus codex in Regiâ Parmensi bibliothecâ asservatus, cui Paciaudius elegantissimum anteposuit prae loquium, ubi de primis Naturalis historiae, & de utrisque Portilianis editionibus disseruit. Duplici ex causâ huiusmodi exemplar magno habendum in precio. I. Quòd autographis docti Anonymi annotationibus instructum. II. Quòd multarum rerum imagines nativis coloribus diligens pictor ad oram librorum reddiderit. Quis porro utriusque operis auctor fuerit, ex tripode fellâ alius devinet ⁽⁴⁾: post Beroaldi emendationes haec verba subjiciuntur:

„ Meminerint legentes, castigationes in hoc volumine atramento scriptas
„ laboris nostri esse ac vigiliarum: etsi aliquae sint sententiae hermolai ⁽⁵⁾ con-
„ cinentes: tamen me priusquam ille opus suum publicae utilitati exponeret
„ dubium fuisse, & nunc quoque dubitamus sic legendum: sed quae e rubro
„ scripta sunt admonemus vos illius esse, ac cum posteris nos illi debere. „

Cum Hermolai Barbari castigationes non ante annum MDCCCXCII. lucem viderint, ut apertè sequenti libro ostendemus ⁽⁶⁾: Anonymum suas ante id temporis atramento scriptas exarasse patet.

Ad operis praefationem, & rerum omnium epitomen (unde primus conflatur liber) nihil adjecit castigator: labor secundo incipit volumine; ibique Natura pingitur lacte Terrarum orbem adspargens; supra positae aureae caracte-

ri-

ANNOTATIONES.

(1) *Omittitur*. Quâ de causâ id agat Portilia, aliis devinandum relinquo. Illius certè consilium omnes improbabunt.

(2) *Recensetur*. Apparet in Hulsianâ, in Syllabo Liburnensi ^(b).

(3) *Invenitur*. Extat in Bibliothecâ Monachorum Casinensium S. Johannis Evangelistae, sed prioribus & ultimis foliis destituta; desiderantur nempe aliorum de Plinio testimonia, & Beroaldi annotationes.

(4) *Devinet*. Videtur, quòd primo folio possessoris nomen legeretur: scripturam tamen acris aquae auxilio successor oblitteravit.

(5) *hermolai*. (Sic).

(6) *Ostendimus*. Excidit Callièo ^(c), & Orlando ^(d) Carolus Darlerium Cremonae anno 1485. Barbari castigationes edidisse, cum illas vulgaverit M. CCCCLXXXV.

(a) *Apparat. Litterar. pag. 113. num. XXXXIII.* (b) *Pag. 611.*

(c) *Gallie, de Gaille.* (d) *Pag. 203.*

ribus: NATVRAE . RERVM . PARENTI . Melior annotationum pars secundo huic libro spectantium, atramenti & rubricae vitio, vel quacumque aliâ ex causâ evanuit.

Tertium volumen variis, iisque optimis geographicis restitutionibus ditatur. Quartum, Quintum, & Sextum bonasquidem exhibet, sed pauciores. Septimo nihil invenimus. Octavo nonnullas emendationes, & pictas Rinoceronis, & candidi Leporis imagines. Nono interpretis piscium varia adjecerat nomina, ut eorum figuram coloribus redderet, quod postea omisit. Primus occurrit Turfio ⁽¹⁾, subinde Scomber, Coracinus, Perca, Mugil, Pagrus, Mullus, Rhombus, Solea &c.

Decimo libro Phoenicis arbitraria imago visebatur; sed quam improba fustulit incisura. Apparet Noctua, Picus Martius, Lufinia (Sic), Vpupa, Passer, Carduelis, Vespertilio.

Vndecimo, & Duodecimo, neque picturae, neque restitutiones redduntur. Decimotertio malum punicum, quod figura absque titulo indicat. In hoc, uti in sequenti volumine non aliae adsunt picturae, neque illustrationes.

Decimoquinto plures aureorum malorum, & prunorum species additis nominibus. Ad Plinii verba *ingens postea turba prunorum: versicolor, nigra, candida, bordeavia appellata, a comitatu frugis ejus*: egregiè hi fructus redduntur, uti Armeniaca, Nucipruna &c. In nonnullis foliis nudae proferuntur appellationes relicto picturae spatio; quae methodus servatur in decimo sexto, ubi nomina sylvestrium plantarum fructuumque, ut una aut altera restitutio.

Decimus septimus picturis & annotationibus destituitur. Decimi octavi initio nonnulla occurrunt leguminum nomina: a fabâ incipiunt, quae unicè coloribus expressa; desunt subinde nomina & picturae.

Decimo nono emendationes multae rubricâ constantes exhibentur; ideoque Hermolaum Barbarum auctorem agnoscunt.

A vicesimo usque ad tricesimum primum nihil emendationi, aut picturae spectans visitur, usque ad sectionem hujus voluminis quintam. Pingitur subinde Cammarus. Tricesimo secundo rerum a Plinio tractarum elenchus, piscesque picti additâ eorum vulgari nomenclaturâ; itemque nonnullae subjiciuntur emendationes.

Tricesimo quarto pauca quaedam, pauci itidem facienda. Tricesimo sexto typographicum mendum sectionis XXIII. sanatur ⁽²⁾.

Editio Veneta III. Anni MDCCCCLXXXIII. justo folio.

Anno MDCCCCLXXXIII. Naturalis historia Venetiis prodiit (a). Hanc
Tom. II. P p 2 edi-

ANNOTATIONES.

(1) Turfio. Si recta hujus est figura, ad Neoterici Sturionis speciem satis accederet.

(2) Sanatur. In Paciaudii praeloquio haec inter reliqua occurrunt: *Sed quis fuerit vir eruditus, qui ante Hermolaum in Plinio emaculando, restituendoque operam insumpsit, nullo modo augurari licuit. Equidem characterum ductus, & litterarum apices cum diversis aevi illius codicibus diligenter contulimus: at quis huic tam dubiae, inconstanti acque adque-
scat conjecturae. ----- Vinam diligens pictor universitatem rerum, quas Plinius libris XXXVII. dicendo disputandoque persequitur, coloribus descripsisset. Nullus fortasse esset Plinianus codex, qui pretio ante staret, nec ille quidem membranaceus, quem vir immortalis Apostolus Zenus cum omni sua docta suppellectili legavit religiosissimis Sancti Dominici Alumnis Congregationis B. Salomonii, qui Venetiis sunt. In illo quippe rerum in uno quoque Plinii libro contentarum imagines non singillatim partiteque quemadmodum in nostro expressae sunt, sed in iconae, quae singulis libris praefixa est, generatim, leviterque adumbrantur.*

a) Vid. Beughem. Harduin. &c.